

quælibet pars contineat $\frac{10}{1000}$. vnius centesimæ.) hoc est, $\frac{80}{1000}$. & $\frac{7}{10}$. vnius centesimæ contineant $\frac{7}{1000}$. comprehendet rota linea abscissa $\frac{87}{1000}$. Item si quis cupiat $\frac{17}{1000}$. accipienda erit vna pars ipsius AF, & $\frac{7}{10}$. sequentis partis secundæ, vt paulo ante dictum est. Vel sic agemus. Sumptis 7. partibus ex KL, transferemus eas in AF. vbicunque libuerit. Nam abscissæ partes erunt $7\frac{7}{10}$. Vna ergo pars cum $\frac{7}{10}$. continebit $\frac{17}{1000}$. Denique si optentur $\frac{457}{1000}$. sumenda erunt ex recta AF, partes 45. cum hæ æquiualeant $\frac{450}{1000}$. Deinde $\frac{7}{10}$. ex sequenti parte quadragesima sexta, beneficio septem particularum rectæ KL, &c.

5. Si ergo sinus totus ponatur 1000. habebuntur Tangentes, vt in tabula nouæ descriptionis horologiorum positæ sunt, nulla figura abiecta. Sed quando Tangens maior est quam 1000. relictis millenis, accipendæ sunt reliquæ partes millesimæ pro Tangente, eiq; toties sinus totus addendus, quoties vnitas in millenis relictis reperitur. Vt si quis velit Tangentem Grad. 40. min. 30. quæ in tabula est 854. accipiendæ sunt in regula AF, partes 85. & $\frac{4}{10}$. vnius. Ita enim Tangens continebit partes 854. ex 1000. At si queratur Tangens Grad. 80. min. 0. quæ in tabula est 5671. relictis millenis accipiendæ sunt partes 67. & $\frac{1}{10}$. vnius partis, & Tangenti 671. addendus sinus totus quinques.

6. PARI ratione si adhibeatur recta MN, partium 101. diuisa in 100. decem promemus ex recta AF, partes decimas millesimarum; cum qualibet particula rectæ MN, contineat vnam particulam ipsius AF, semel, & insuper $\frac{1}{100}$. Ita vt quælibet particula rectæ AF, diuisa esse cogitetur in 100. particularas; ac proinde tota AF, sit 10000. particularum, quod eodẽ modo demonstrabitur. Est enim eadem proportio MN, ad vnam particulam suam centesimam, quæ rectæ AF, ad vnam suam centesimam, &c.

7. ATQUE hac ratione haberi poterunt Tangentes, posito sinu toto 10000. abiectis nimirum tribus figuris primis ex Tangentibus tabulæ in nostro Theodosio descriptæ. Vt si velimus Tangentem Grad. 78. Min. 30. quæ in tabula (abiectis tribus figuris) est 49151. relictis denis millenarum, accipiemus partes 9151. nimirum partes 91. ex 100. regulæ AF, & $\frac{51}{100}$. vnius. quod fiet, si partes 51. rectæ MN, transferantur in AF. Circinus enim ultra partes 51. abscindet $\frac{51}{100}$. Nam quia singulæ particule rectæ AF, concipiuntur sectæ in 100. particulas, continebuntur in 91. partibus particule 9100. quibus si addantur 51. habebitur Tangens 9151. Huic tandem apponendus est sinus totus quater, propter quatuor denas millenarum relictas, Facile autem ad 91. partes adijcies particulam continentem $\frac{51}{100}$. vnius centesimæ, si eam, (quæ nimirum ultra partes 51. regulæ AF, existit) cum vna parte regulæ AF, transferas, vt pes circini inter partes 91. & 92. cadat, hoc est, si eam cum vna parte transferas ex parte 90. vel cum duabus partibus, ex parte 89. &c.

8. INVENTA porro Tangente in vtraque regula AF, AG, dabit interuallum inter Tangentem regulæ AF, & Tangentem regulæ AG, eandem Tangentem respectu sinus totius FG.

9. QUANDO autem Tangens tam exigua est, vt eius interuallum prope punctum A, accipinequeat, vt emur hoc artificio. Sit verbi gratia sumenda

Tangens

*Tangentes
quo modo in-
ueniantur,
posito sinu toto
& 100.*

*Decima par-
tes millesima-
rum quo mo-
do sumantur,
etiam si instru-
mentum diui-
sum sit in 100.
partes duntaxat.*

*Tangentes po-
sito sinu toto
10000. quo pa-
cto sumantur.*

*Qua ratione
ex inuenta
parte millesima,
vel decima*

es mille-